

Q.K
389,
19.

X 1903694

II m
6167

CONFIRMA-
TIO ET RATIFICATIO ITEM-
QUE EXTENSIO CONDITIO-
num pacis Thorockien: inter Romano-
rum Imperatorem Matthiam & Turca-
rum Imperatorem . Achomatem pri-
mum Sultanum ut illæ Anno 1615.
inter utramq; partem tracta-
tæ & conclusæ sunt.



ANNO DOMINI.

M. DC. XV.

R
e
f
e
r
e
n
z
e
n
A
G
a
c
i
d
i
n
&
f
i
a
n
e
C
i
R
F





M A T T H I A S Dei gratia Romanorum
Imperator semper Augustus, & Hun-
gariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ,
Sclauoniæ, aliorumq; eo pertinentium
Regnorum Ditionum ac Prouinciarum &c. Rex, Re-
cognoscimus & memoriæ comendamus tenore præ-
sentium, quibus expedit universis, pro Nobis, hære-
dibus & successoribus nostris. Quod cum super pa-
ce, quæ inter Diuum quondam Rudolphum secun-
dum Romanorum Imperatorem, Dominum fratrem
nostrum colendissimum augustæ memoriæ, & Sere-
nissimum ac Potentissimum Dominum Sulthanum
Achomatem Turcarum Imperatorem, ac Asiæ &
Græciæ &c. vicinum & amicum nostrum honoratum
ad Sitwa Torock per vtriusq; partis Commissarios ad
id deputatos in viginti annos immediatè sequentes
inita & conclusa, mutuoq; Iuramento grata habita,
& corroborata fuit, certæ difficultates & controuer-
siæ exortæ essent, atq; ad eas explicandas & compo-
nendas novi vtrinq; Commissarij in nostra Austriæ
Ciuitate Vienna conuenissent, ex parte scilicet nostra
Reuerendis: Spectabiles, & Magnifici Dñs. Franciscus
Forgach de Ghymes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pres-

byter Cardinalis & Archiepiscopus Ecclesiæ Metro-
politanae Strigoniensis lociq; eiusdem Comes perpetu-
us Primas Hungariæ Legatus natus sumus & secreta-
rius Cancellarius & Consiliarius noster Melchior Kle-
fel Episcopatum Viennensis, & Nouæ Ciuitatis E-
piscopus Consilij nostri intimioris Director, Ioannes
à Molart Liber Baro in Reineg & Drosendorf &c. in-
timus Consiliarius & Consilij nostri bellici Præses, Vi-
ennensis nostræ guardiæ supremus Capitaneus & Cu-
bicularius, Adolphus Comes ab Althaim de Golt-
burg, Liber Baro in Muersteten, Philippus Comes de
Solms, Baro in Müntzenberg, & destinatus noster su-
premus Capitaneus Ladislaus Pethe de Hethes, Co-
mes Comitatus Thornensis Consiliarius noster, &
Camerae nostræ Hungariæ Præfectus, Paulus Appo-
nij de Nagij Apponij &c. fideles nobis sincerè dilecti,
& ex parte dicti Imperatoris Turcarum Magnifici sine-
cerè Nobis dilecti Ahmet Tihaiia & Gasparus Gratias
ni pax illa prior Situatorocensis, non tantum solenni-
ter renouata & confirmata, sed duodecim etiam no-
vis Articulis aucta, & in viginti annos proximos con-
tinuò duratura extensa fuit, quemadmodum ad ver-
bum sequitur.

I. Articulus.

*Vt pax hæc sancta & salutaris à die decima-
quarta Julij Anno scilicet Natiuitatis Domini no-
stri Ie-*

stri Iesu Christi millesimo sexcentesimo decimo quinto, Mahometano vero anno millesimo vigesimo quarto, mense Chomazilakar usq; ad annos viginti proximè sequuturos sancita & conclusa sit, & intelligatur. Cum enim circa eas inducias, quæ ad Sitva Torok firmata & transacta fuerant, multe utrinq; difficultates & controuersiae obortæ essent, necesse omnino fuit eas de nouo stabiliri, atq; hanc quidem pacem, ut supra dictum est, ab hoc tempore in annos viginti proximè sequentes conseruari debere placuit.

II. Articulus.

Vt pax ad Sitva Torock conclusa unâ cum omnibus suis punctis & articulis in vigore suo permaneat, uti eam augustæ memoriæ Imperator Rudolphus secundus manu & sigillo suo firmatam Serenissimo Turcarum Imperatori Sulthano Ahmeto Haan transmiserat, & ipse Turcarum Imperator eandem acceptauerat, confirmationemq; suam Maiestati Suae Casareæ Imperatori Rudolpho augustæ recordationis remiserat. Quorum quidem Diplomatum alterum datum erat 9. Decemb: 1606. Confirmatio vero Serenissimi Turcarum

rum Imperatoris, ut omnia ritè obseruentur, Anno Mahometano millesimo, vigesimo primo, circa initium Mensis Rebiuleuell firmata, Et ut supra dictum Maieſtati Cæsarea transmissa fuit.

III. Articulus.

Agriam, Canisam, Albam Regalem, Pesthium, Budam, Solnock, Hatuan, aliq; Castra quod attinet, ij pagi qui à tempore occupationis dictorũ Castrorum eo spectasse, Et iisdem semper Tributarij fuisse comperientur, iterato quæ antehac illis præstiterunt, præstare tenebuntur. Qui vero pagi cõtra transactionem Situa Torockien: utrinque hætenus à tributi præstatione impediti, vel vi ad eandem adacti fuerint, à Commissarijs utrinque deputandis in rem præsentem ituris diligenter inspicientur, Et confestim in libertatem pristinam reducti legitimis Dominis suis restituentur.

Quod vero ad pagos utriq; parti obstrictos attinet, inter quos nonnulli sunt ad Regnum Hungariae pertinentes, uti qui Nouogrado, alijsq; Castris Tributarij esse consueuerunt, eos Commissarij utrinque ordinandi accurate investigabunt, describent ac distinguunt, ne deinceps à Turcarum limitaneis

taneis ullo damno, iniuria, vel molestia affician-
tur. Similiter etiam dicti Commissarij eos pa-
gos qui vel utriq; parti vel Maieitati Suae Cæsa-
rea, vel Strigonio, alijsue Castellis dedititij sunt,
diligenter annotabunt, ut singulorum haberi ratio
possit, ne qua deinceps hoc nomine inter unam &
alteram partem difficultas oriatur.

Porro ad controversos 158. pagos Strigonien-
quod attinet, utriusq; conuenit, ut eorum sexagin-
ta Strigonio propinquiores tributarij sint, & in
cæteris Commissariorum qui deputandi sunt, dispo-
sitioni acquiescatur.

Hi vero Strigonienses alijsq; omnes pagi tribu-
tarij in Hungaria ubicunq; siti, neutra ex parte
ultra solitas & consuetas contributiones arctari
debeant, sed id saltem quod antiquitus pendi sole-
bat dominis illorum per Iudices consignabitur: qua
in re, si quæ mora vel negligentia intercesserit, eo-
rundem locorum Bassa vel Beghus subditos ternis
vicibus monebit, ut contributiones suas per Iudi-
ces exolvant, quod ni fiat, supremus limitum præ-
fectus, quicumq; tandem is sit, per literas requiren-
dus erit, ut subditi Iudices cum contributionibus
omnino mittant.

Lon-

Longiore vero mora intercedente eiusdem loci
Bassis vel Beghis subditos illos vi adducere, & ad
debitas contributiones præstandas compellere lice-
bit. Per totam porro Hungariam qui tributarij
sunt pagi, ita permanebunt, neq; ultra solitas & an-
tiquas contributiones adigi poterunt. Supradicti
quoq; Commissarij in Hungaria tam superiore quã
inferiore item in Croatia & Sclavonia limites di-
ligenter & accurate observabunt, & adnotabunt,
ne quod maiores difficultates excitare possent, rema-
neat.

III. Articulus.

Quia vero impossibile est ut in violatores pacis
ita repente antequam legitime auditi & convicti
sint, animadvertatur, utrinq; conclusum est, ut in-
tra Menses quatuor Iustitia contra tales admini-
stretur.

Ad ea vero, quæ Serenissimi Turcarum Impe-
ratoris militibus in Alba Regali destinata erant,
erepta stipendia & damna Bolontuariensia quod
attinet, ut de ijs iam nunc, absq; mora cognoscatur
atq; ea deinde resarciantur, placuit.

Conclusum est itidem, ut qui post transactionẽ
Sithva

Situathorokien: utrinque capti sint, sine Lythro vel pretio dimittantur, & in libertatem pristinam restituantur.

V. Articulus.

*Postquam Achmet Tibaia indicem Palan-
rum, que post initas inducias exstructe fuerunt,
exhibuit, hoc articulo transactum est, ut in omnes
Palancas, que à tempore Tractatus Sitva Toro-
chiensis utrinque contra pacem initam exstructe fu-
erunt, diligenter inquiratur, & testibus sub jura-
mento examinatis solidæ informationes super ijs
capiantur, atque tunc quenam contra induciarum
tenorem edificatæ fuerint, intra Menses quatuor
proxime sequuturos decidatur. Ad cuius rei cog-
nitionem certius inuestigandam ex limitaneis aliqui
vel Beghi vel Capitanei aut alij Officiales, aut e-
tiam aliquis Procerum utrinque designabitur, qui
palancas huiusmodi contra pacem exstructas de-
moliri debebunt.*

VI. Articulus.

*Et quandoquidem subinde accidere solet ut u-
trunque homines turbulenti pacem & amicitiam ini-
tam illicitis machinationibus violare studeant, ij*
B si de-

si deinceps deprehendantur Sacra Casarea Maie-
stas Sua eos Serenissimo Turcarum Imperatori
quamprimum denunciabit, à quo super ijs vicissim
sufficiens informatio quam primum remittenda e-
rit, ne fides istiusmodi hominibus temerè adhibe-
atur.

VII. Articulus

Si quoq; qui Sanctissimi IESV Christi popu-
lum se profitentur Papam sequentes, siue Sacerdo-
tes siue Monachi, siue Iesuitæ nominentur, Ecclesi-
as in Ditionibus Serenissimi Turcarum Impera-
toris extruendi facultatem habebūt, in quibus pro-
more suo, & Ordinis sui statutis, ritusq; antiquo E-
uangelium legere, Conciones habere, Diuinoq; cul-
tui vacare poterunt, ijq; à Serenissimo Turcarum
Imperatore suisq; benevolè haberi, & à nullo homi-
num præter ius, fas, & æquum ullo modo grauari
debeant.

VIII. Articulus.

In pagos circa limites utrinq; deuastatos &
Colonis destitutos, ut ad pristinam culturam redi-
gantur, noui utrinq; coloni deduci poterunt, nec
quicquam hoc nomine controuersie moueri debe-
bit.

bit, quod ijs in locis siti sint, ubi utriq³ parti con-
tribui soleat, Nam si pagi vicini utrinq³ contribu-
ant, hi quoq³ eodem jure censer³ debebunt.

I X. Articulus.

Mercatoribus Turcicis ex Constantinopoli
in has Prouincias mercaturam liberè exercere vo-
lentibus, id ita licebit, ut à limitaneis Gubernato-
ribus vel Tricesimarijs Literas passus habeant, &
quacunq³ iter facturi sint, easdem exhibeant, quas
singulorum locorum dominus vel Tricesimator si-
gillo suo impresso vel signo inscripto firmabit, qua
tamen occasione nihil à mercatoribus exigi; quin
si ulterius proficisci decreuerint, commeatus illis
sufficiens in locis periculosis præberi, & postquam
tricesimam, vel aliàs de more soluenda ubiq³ solue-
rint, à nullo hominum ulterius molestari, aut iter
ipsorū, quorsumcunq³ id dirigant impediri debebit.

X. Articulus.

Qui vero Mercatores ex Sacra Cesareæ Ma-
iestatis Suae Regnis & Prouincijs, & Augustæ
Domus Austriae Ditionibus in Serenissimi Tur-
carum Imperatoris Prouincijs siue mercibus, siue
parata

parata pecunia negotiari voluerint, Maiestatis
Sue Cesaree banderio siue vexillo & literis pa-
tentibus muniti id libere facere poterunt, sine qui-
bus nequaquam illis hoc permissum erit. Quod si
qui dictis vexillo & patentibus destituti ad ea loca
appulerint, ad Maiestatis sue Cesaree Agentes
vel Consules spectabit, ut tales detineant, & de ijs
quam primum Maiestatem suam Cesaream infor-
ment. Subditi proinde Maiestatis sue Cesaree,
& Augustæ Domus Austriæ, nec non Serenissimi
Hispaniarum Regis Catholici, cum alibi tum in
Belgio sub auspicijs & vexillo Rom: Imp: una cum
nauibus & mercimonijs suis liberè tutoq; accedere,
negotiari & recedere poterunt, dummodo ratione
omnium eorum quæ vel empturi, vel vendituri sūt
in singulos centenarios tres: Agentibus vero vel
Consulibus Maiestatis sue Cesaree, qui occurren-
tia illorum negotia cura habebunt, in singulos Cen-
tenarios duos asperinos persoluant.

Si quem eorundem Mercatorum mori contin-
geret, Agentes siue Consules Maiestatis sue Cæsa-
reæ merces ipsorum adseruabunt & describent, nec
quidquam cum illis Turcarum fisco negotijerit :

Porro

Porro à dictis Mercatoribus, sicubi in Porta ratione mercium suarum tricesimam, aut aliàs solvenda soluerint, nihil ulterius exigi debebit. Siquid verò litis aut controuersie inter dictos Mercatores oboriri contigerit, cognoscendi & decidendi facultatem non ultra summam quatuor millium cruciferorum vel asperinorum particulari eiusdem loci Kadio, sed Kadijs Constantinopolitanis qui illorū controuersias ex Juris & equitatis præscripto dirimant, competere placuit.

XI. Articulus.

Salutari hac pace durante, quotiescunq̄, contigerit à Maiestate sua Cæsarea ad Serenissimum Turcarum Imperatorem aut inde vicissim ad Maiestatem suam Cæsaream Cursores, tabellarios aut literas expediri, vel à Præfectis & Capitaneis quibuscunq̄, Bassis, Beghis, aut Agentibus aut Vezirijs hinc inde nuncios mitti, iutrinq̄, in utriusq̄ Imperatoris Prouincijs & Ditionibus à Gubernatoribus honorificè tractari, & per loca non tuta sufficienti comœatu seu conductu securè deduci, ipsorumq̄ itinera quouis modo promoueri debebunt. Literæ vero ultro citroq̄, mittendæ ut per postam rectè

*rectè curentur, neq; ullibi detineantur Bassæ Bu-
densis diligentia & industria committendum.*

XII. Articulus.

*Deinceps nullus Vayuodarum, Bassa vel Be-
ghus ad pagos in persona proficiscetur, sed Iudices
ipsimet dona & Contributiones quo spectent, &
ubi solui debeant, deferent.*

NOS ea omnia, prout superius descripta, & de
verbo ad verbum inserta habentur, pro nostra
parte ex certa nostra scientia, animoq; bene delibera-
to, & omni meliori modo ac forma quibus potui-
mus ac debuimus approbauimus, ratificauimus &
corroborauimus, prouti vigore præsentium approbam⁹
ratificam⁹ & corroboramus; promittentes in verbo ac
fide Imperatoris pro Nobis ac Regibus & successorib⁹
nostris, quod illa omnia & singula sincerè sanctè & in-
uiolabiliter tenebimus, obseruabimus & adimple-
bimus, ac per supradictos Reges & successores nostros
eodem plane pacto obseruari & adimpleri debere vo-
lumus, atq; decernimus, ac tam Nos ipsos quam illos
ad id quam efficacissimè obligamus & obligatos atq;
adstrictos reddimus, omni dolo ac fraude se positis &
semotis, dummodo & quam diu similiter Serenissi-
mus quoq; Turcarum Imperator hæc omnia rata
grata-

grataq; habuerit, obseruauerit sua ex parte & ad-
impleuerit. Ne autem vel in minimo quidquam
ex parte nostra desideretur, quod ad firmam, san-
ctam atq; inuiolabilem pacis obseruationem quo-
cunq; modo pertinere aut requiri possit usq; ad con-
fines nostros Capitaneis, prouisoribus, & militibus
nostris exactè demandaturi sumus, quemadmodum
nō diffidimus ex parte serenitatis suæ, quæ literas suas
confirmatorias & ratificatorias super his omnibus so-
lenniter expeditas ad Nos transmisit, perinde bona
& integra fide agi, neq; Serenitatem Suam eiusuè mi-
nistros, subditos, & milites ijs quæ iuxta præmissa tra-
ctata & conclusa fuerint, directè vel indirectè quo-
uis prætextu quæsito, contrauenturos esse Ha-
rum testimonio literarum &c. Datum

Pragæ die prima Decembris,

Anno Domini

1615.



AK Th 6169

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

MC

V 77



Q.K.
389,
19.

X 19036



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

Kodak
LICENSED PRODUCT

II m
6167

